

erudite eleganterque scripti extant. Horum Librorum varias & discrepantes Editiones in *Prolegomenis Historiae Iuris Excellentissimi huius Bibliothecæ Auctoris §. II. p. 2.* exquire. Optima sane est, quæ cum CHRISTIANI THOMASII *Dissertatione Proæminali: De usu vario studii Antiquitatum, in primis in studio Iuris prudentiæ,* curis IO. CHRISTOPHORI FRANCK prodiit *Lipsiæ & Hale 1718.8.* Addi possunt SIBRANDI TETARDI *Siccama de Iudicio Centumuirali Libri Duo Franckere 1596.8.* Hæc scripta in *Thesau-ro Antiquitatum Græuianarum Tomo I. & II.* reperiuntur.

CAPVT TERTIVM

De

FONTIBVS IVRIS CIVILIS.

§. I.

IVs diuiditur in Sacrum vel Profanum: hoc in Ciuile & Publicum, & quæ addenda, Feudale atque Criminale: in quo potior pars dispositionis literariæ iuridicæ consistit. In qualibet sectione primo loco veniunt Fontes, qui secundum diuersam Iuris rationem variant. Primum quidem considerandi veniunt Fontes Iuris Ciuilis. Ius nostrum, quod Iustinianeum dicitur, fontem habet *Corpus Iuris Ciuilis.* Constat illud potissimum *Instructionibus, Pandectis, Codice & Nouellis,* Iustinianus scilicet

*Ratio li-
brorum
Corporis
Iuris,*

et